

V c
2402



Ch.



Bl. 25, 23.

V c

2402

CARMEN FVNEBRE

DE OBITV ILLV-
STRISSIMÆ PRINCIPIS, AC

Dominæ ANNÆ: Illustrissimi Principis ac Domini, Do-
mini AVGVSTI, Dei gratia Ducis Saxonix, S. Romani Im-
perij Electoris &c. Coniugis laudatissimæ; quæ placidè in
Christo saluatore nostro obdormiuit, Anno 1585.


I. Die Mensis Octobris:

SCRIPTVM

A

MICHAELE CLENOVIO

Hamburgense.



VVITEBERGAE Anno M. D. LXXXV.





ELEGIA

AD ILLVSTRISSI-
MVM PRINCIPEM AC DN.
DOMINVM AVGVSTVM, DEI GRATIA
Ducem Saxoniae, S. Romani Imperij Electorem, &
Archimarschallum, Landgrauium Thuringiae, Marchio-
nem Misniae, & Burggrauium Magdeburgen-
sem, Dominum suum cle-
mentissimum.



*N*ecte Saxoniae Dux, & fortissime Princeps,
O decus & stirpis gloria summa tuae;
Anxia si te non acuit moderatio rerum,
Quodq; tuis humeris grande recumbit onus:
Aspice clementer nostrum quemcunq; dolorem,
Quem tibi Leucorea mittit ab vrbe Cliens.
Accipe quinetiam facili mea carmina vultu:
Vultibus haec fuerint si modo digna tuis.
Non Arabum spirant aurum: nec murice tincta
Incedunt: lachrymas dedecet ille color.
Sed tenui cultu, gemituq; immersa nefando
Proueniunt, fletus testificata pios.

Nam simulac nostras volitavit fama per oras,
Leucorei Matrem disperuisse soli:
Protinus ingenti pubes studiosa dolore,
Coniugis interitum fleuit ubiq; tuæ.
Mœsta dolet casum: casu tristatur acerbo:
Nec præter gemitus Leucoris omnis habet.
Ipse ego dum studeo testari carmine tristes
Officij partes; non sinit Ingenium.
Deficiunt vires: siquidem mihi denegat aures
Phœbus, nec præbet Calliopea Lyram.
Ne tamen omnino desint vestigia gratæ
Mentis, & in lachrymis, Dux generose, locus:
Idcirco Musis lento sub vimine iunctis,
Coniugis in mortem qualiacunq; fero.
Si non quo studio, nec qua Pietate decebat,
Condita sunt numeris funera tanta meis:
Sunt tamen exiguis utcunq; ornata Camænis:
Exiguis etiam gratia rebus inest.
Gratius arridet Superis mage paruulus Iri
Agnus, & infusus pura per exta liquor:
Quàm vel cæsa simul taurorum corpora centum;
Nam non dona placent: Mens pia sola placet.
Sic mea mens placeat potius, Generose favori
Princeps, quam quæ iam munera missa capis.
Non mihi cura fuit describere singula versu:
Hæc obiter tantum fingere cura fuit.

Me

*Me dignare tuos inter Dux sancte Clientes
Scribi, Principibus qui placuisse student.
Qui semper veris Heroum versibus augent
Laudes, & numeris fortia facta canunt.
Perge iuuare sacros vatum celsissime vates,
Princeps Saxonici laus memoranda throni.
Sic tibi perpetuò cantabunt carmina Vates:
Sic quoq; perpetuo carmine notus eris.
Sic tua Cumæos durabit fama per annos:
Sic regni veniet gloria multa tui.*

Celsitudini tuæ

Addictissimus

*Michael Clenouius Hamburgensis
Clientulus minimus.*



MS

CARMEN



CARMEN FUNEBRE,
DE OBITU ILLUSTRIS-
SIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE
ANNÆ AVGVSTÆ, &c.

Ergo graues iterum tristi sub pectore fletus
Leucoris exeres, funere mæsta graui?
Quæ te causa iubet lachrymarum effundere riuos,
Ac gemitu mentes excruciare nouo?
Nuper ab Heroum capiebas gaudia tædis:
Et de coniugio carmina læta dabas.
At modò quis status est? Quæuè hæc mutatio rerum?
Siccinè lætitiæ ianua clausa nouæ?
Siccinè vertuntur dulces in funera plausus:
Et quæ læta fuit redditur atra dies?
Dicite Leucorides: mæsto cur mæreat ore
Leucoris: & lachrymis irriget ora pijs.
Fallor? an AVGVSTI deflet lachrymabile fatum,
Coniugis: ac obitus ingemit ANNA tuos?
Ergò si qua prius meruerunt funera questus:
Si fuit hac vnquam fletus in vrbe datus:

Jam

Jam date luctisoni funebria signa ululatus

Musa: Iam lachrymis ingemat omnis homo.

AVGVSTI siquidem, nostri Ducis, inclyta coniunx

Occidit: Et corpus flebilis urna tegit.

Plangite Leucorides, mecum modo plangite Nymphae:

Et maestum maesto fundite corde melos.

Omnia tristentur: suffundat lumina luctu

Leucoris: En matrem perdidit orba suam.

Tuq; o qua sequeris Musarum castra Iuventus,

Imple maestificis pectora maesta sonis.

Nil nisi triste sones: vel cum se gurgite mergit,

Nil cum Sol versis mane recurrit equis.

Ante alios etenim, quibus est mors illa dolori,

Et quibus hic obitus tristia corda parit:

Præcipue nobis fas indulgere subinde

Fletibus, Et luctus significare pios.

Plangite Leucorides, mecum modo plangite Nymphae,

Et maestum maesto fundite corde melos.

Aspice quis miseris insit dolor omnibus: omnes

ANNA tuum interitum nocte dieq; dolent.

Te sine nil latum: sine te nihil amplius ulli

Gratum: delicias abstulit una dies.

Morte

Morte tua, mundi totius gaudia frangis:
Frangis & Aënidum pectora morte tua.
Morte tua, cœli facies mutatur: & urbes
Latitæ ponunt tempora morte tua.
Morte tua, querulos referunt arbusta dolores:
Squalet hyems mæsto sidere morte tua.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphæ:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Ipse etiam lachrymis humectò grandibus ora,
Nil nisi luctisonum carmen ab ore ferens.
Fletibus immadeo totus, totosq; per artus
Et dolor & gemitus, sed sine lege, ruunt.
Et quis flere vetet? duro vetet ære creatus:
Et qui de rigido marmore pectus habet.
Non mea circumdat chalybis præcordia massa:
Nec mea difficilis pectora torpor arat.
Flere equidem prodest: Silices si flere valerent
Flerent: Nam iusti causa doloris adest.
Plangite Leucorides: mecum modò plangite Nymphæ,
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Nam si respicias veræ Pietatis amorem
ANNÆ, si mentis semina sacra sacra:

Tum

Tum meritò poteris meritis perfundere pectus
Luctibus, & luctus ingeminare novos.
Dum vixit, vixit nulli virtute secunda:
Et nulli similis vixit in orbe Fide.
Casta pudicitiam servavit pectore casto,
Exosa illiciti furta nefanda tori.
Quinetiam si quos conspexit turpibus uti
Ignibus, & Veneris castra maligna sequi:
Protinus hos voluit puniri legibus omnes,
Et plecti ex noxa conditione reos.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphæ:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Quid dicam quanta fuerint sub pectore dotes
Virtutum, ac animi nobilioris opes?
Æqua fuit studijs, Vatesq; ante omnia amavit:
Et semper Clarijs artibus æqua fuit.
Æqua fuit Musis, Musis quicunq; vacarent,
Munificam semper præbuit æqua manum.
Vnde etiam semper Vatum sub pectore viuet:
Donec erunt Musæ: carmina donec erunt.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphæ:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.

B

Sed

Sed quid ego studeo virtutem aquare canendo
ANNA tuam? Vatis diuitis ille labor.
Non mihi sunt vires tanta, nec tanta facultas,
Quò possim laudes equiparare tuas.
Non mihi stat Proavos, nec clarum nomen Avorum
Dicere: nec numeris enumerare genus.
Sat mihi, si quemcunq; meum testetur amorem
Luctus, & officium denotet ille meum.
Sat mihi, si cineri persolvam dona suprema,
Ac aliqua manes parte iuvare queam.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphæ:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Occidit egroti spes: & Fortuna Poëtæ:
Occidit, & secum gaudia nostra rapit.
O regio infelix Danorum tolle querelas:
Te decet, heu, propriam condoluisse vicem.
Nunc opus est lachrymis: opus est nunc pectore tristi:
Est opus, ut largis fletibus ora laues.
Namq; tui perijt meritissima gloria Regis
Germana, Aönio commemoranda pede.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphæ:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.

Fallor?

Fallor? an es meritò iustis immersa querelis,
Et mortem Domina corde dolente doles?
Scilicet ut luget casum Verona Catulli,
Virgiliq; necem Mantua tota dolet:
Sic lugubre solum, Dominam iam morte peremptam
ANNA M præpropera nocte dieq; gemis.
Ingemis AVGVSTI costam de pectore casto
Abreptam, desles tristia fatali.
Fata doles, crudoq; sedent sub pectore morsus:
ANNAE dum memor es: fata maligna doles.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphae:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Sic quoq; Dux noster pullo velamine tectus,
Coniugis, AVGVSTVS, funera sua dolet.
Tam citò se tanta viduatum coniuge deflet,
Deflet, & in lachrymis vix habet ille modum.
Et meritò: siquidem tantum quis ferre dolorem
Possit, & erepta haud compare flere domi?
Ferreus est, duro seruans sub pectore cautes,
Nec viget in toto corpore verus amor:
Interitu uxoris qui non tristetur, & ultrò
Tristia tristificis fletibus ora lauet.
Fortia sed quamuis deceant certamina fortes,
Nec facile in fortem dura querela cadat:

Attamen in fortes etiam suspiria cordis
Sæpe cadunt: frangit fortia corda dolor.
Sic olim Æneas cernens ex ordine pugnas
Iliacas, largo flumine corda rigat.
Multa gemens, multis humectat luctibus ora,
Pictura pascens pectora mœsta leui.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphae:
Et mœstum mœsto fundite corde melos.
Sic igitur moreris? Sic ò Dux inclyta linqvis
Mortales visus, funeris ante diem?
Sic heu sic viridi rapiuntur ab arbore fructus:
Sic fœtu pecorum destituuntur agri.
Sic etiam duro succisa recumbit aratro
Planta, noua quæ vix surgere cœpit humo.
Scilicet hic finis lethi datur omnibus vnus,
Vi viuas moreris: viuus ut intereas.
Mancipio certè nulli conceditur uti
Vita: Mors omnes sub sua iura vocat.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphae:
Et mœstum mœsto fundite corde melos.
Omnia mutantur nullo discrimine terris,
Et pereunt fato non remorante viri.

Omnibus

Omniſus incumbunt Parca: rapit omnia tempus:

Et qui ſe ſperat viuere velle; cadit.

Nil ſtabile in vita eſt: dura inclementia Mortis

Fulminat, & cunctis iniicit atramans.

Scilicet arbitrijs vitam diſpenſat inermem

Parca ferox: ſternens omnia lege pari.

Non curat numerum: graciles nec reſpicit annos:

Nunc rapit hæc Iuuenes: nunc rapit illa ſenes.

Vidi ego qui ſeros ſibimet promiſerat annos,

In primo ætatis flore, & amore mori.

Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphae,

Et mœſtum mœſto fundite corde melos.

Inuida Mors quare nobis rapis optima ſemper?

Optima cum perdis: deteriora manent.

Quid iuuat Heroas crudelibus vrere telis?

Si tibi fas homines ſternere: ſterne malos.

Sterne malos: qui ſunt vino vicijsq; ſepulti

Semper, & in vanis ocia rebus agunt.

Vox immota manet: numero Mors impare gaudes:

Diuitibus pariter pauperibusq; vacas.

Nunc Codrum rapiens: Cræſi obliuiſceris ultrò:

Nunc Cræſum rapiens: Codrus in orbe manet.

B 3

Plangite

Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nympha:
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Qualiter euersis moriens Hyacinthus in oris,
Vomere succisus praterente iacet:
Sic (dolor) AVGVSTI cecidit Ducis inclyta coniunx,
Quæ patre Danorum rege creata fuit.
Ergo homo flos campi est, similisq; volatilis umbra:
Scinditur: & si quem dicimus esse: FVIT.
Quàm citò purpurei sternuntur frigore flores:
Quàm citò vernanti lilia vere cadunt:
Quàm citò tempestas, ventorumq; ingruit horror:
Tam citò, vel citius qui valere, ruunt.
Fata manent omnes: sed non manet exitus idem
Omnes: ò felix quem pia fata manent.
Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nympha,
Et mæstum mæsto fundite corde melos.
Nam, velut intereunt non uno, semper in agris
Flores, & surgunt Sole iuvante, modo;
Sed modò depascunt aliquos in vere Iuenci;
Nunc aliquos duro frigore sternit hyems:
Sic quoq; non una, nec eadem sorte feruntur
Mortales: miscent vltima fata vices.

Certius

Certius est fato nihil: est incertior hora:

Mors scio quod veniat: funeris hora latet.

Seu citò seu serò diris mors cursibus instet:

Nil refert, certò Mors sua queng, manet.

Fata manent terræ: mentem manet aura: sed alma

Terra manet corpus: terra quod antiè fuit.

Plangite Leucorides, mecum modò plangite Nymphæ:

Et mæstum mæsto fundite corde melos.

Jam, quoniam perijt fatis urgentibus ANNA,

Nostra nec infectum reddere vota queunt:

Quid iuuat ulterius tanto superesse dolori:

Quid uè iuuat madidas semper habere genas?

Nil profunt gemitus: nil si cursurus in Albim

Eridanus lachrymis cresceret usq, nouis.

Irrita spes omnis flendi, dolor irritus omnis:

Desine qui lugens, vomere litus aras.

Nam qua stelliferas semel hinc migravit ad arces,

illam tu gemitu non reuocare potes.

Sistite Leucorides mecum modò sistite fletus,

Nec mæstum mæsto fundite corde melos.

Ergò ubi iam penitus languerent pectora morbo,

Pectora qua mæsto decubuère toro:

Protulit

Protulit hos tristi non longo à limine mortis
Corde sonos, Princeps, pectore freta Deo.
Fata vocant: linquoq; volens mortalia membra:
Ad cæli pergo culmina: Fata vocant.
Sed tu Christe faue, cum spiritus ibit in auras:
Ne pereat precium mortis inane tua.
Sistite Leucorides mecum modò sistite fletus:
Nec mæstum mæsto fundite corde melos.
En mea deploro veteris contagia noxa,
Peccati facio me quoq; spontè ream.
Vita scatet maculis fateor, corpusq; pudendis
Sordibus imbutum est: sordibus egra feror.
Has precor absumat tuus ò de vulnere stillans
Sanguis, Et hos nauos abluat ille cruor.
Hæc ubi dicta: leues subito concessit in auras
Spiritus, Et clausit lumina pressa sopor.
Sistite Leucorides mecum modò sistite fletus;
Nec mæstum mæsto fundite corde melos.



E L E.

ELEGIA

A D

SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM PRINCEM ET DN.
 Dominum FRIDERICVM II. Daniæ, Norvvegiæ, Gothorum
 & Vandalorum Regem, Dominum suum
 clementissimum.



H quis te gemitus: Quis te pius inclyte fletus
 Rex mouet: ab quis nam pectora mæror habet?
 Ab qui te talem tanti rapuere dolores?
 Ab quis te tanto funere flere iubet?
 Cur tibi suffuso lachrymarum gurgite flumen
 Crescit: & è fletu cur vada salsa fremunt?
 Fallor? an AVGVSTAE fatum, miserabile fatum
 Principis, & vitæ stamina fracta doles?
 Sic est: Hanc propter tibi suffunduntur obortis
 (Vtpote quæ Soror est) fletibus ora pijs.
 Sunt lachrymæ rerum & mentem mortalia tangunt:
 Tangeris, & dubias ingemis vsque vices.
 Hinc non tam dura raptam tibi morte Sororem
 Defles; quàm mundi lubrica vela vagi.
 Defles arbitrium Fati, sortisq; fugacis
 Tempora, diuersis tempora plena malis.
 Et meritò: Quis enim iubeat deponere luctus?
 Aut velit hanc tantam non doluisse vicem?

Credite

Credite difficile est, lachrymas in funere tristi
Sistere : difficile est linquere posse suos.
Ægrè fert Nati casum pater : Vxor amati
Coniugis occasum nocte dieq̄, gemit.
Filius è gremio Matris disiungitur ægrè,
Maxima spes vitæ delictumq̄, suæ.
Tristia nec patitur syncerus amicus amici
Fata sui : casum corde dolente dolet.
Sic quoq̄, credibile est, tua, Rex inuicte, Sororis
Dulcis ob interitum, luctibus ora premi.
Fata mouent animum : surguntq̄, in pectore soryci :
Vnde solent curæ vergere sæpe graues.
Vnde suæ genitor sobolis meditatus acerbum
Casum, tristitiæ signa dolenda capit.
Hinc quoties secum, Natæ vel funera Nati
Colligit; & durum cogitat esse mori :
Protinus vbertim lachrymis obtunditur atris,
Effodit & pectus patria cura suum.
At quoniam hæc Christi fuit : vt fuit : alma voluntas ;
Lugendi facito tristitiæq̄, modum.
Dutum est confiteor tantum tibi pignus Amoris
Ereptum : durum est talia fata pati :
Attamen in lachrymis modus est : modus omnis vbiq̄
Vtilis : in luctu non perijisse decet.
Finge tibi visam : visam sic finge videri,
In cælo donec vos liget vnus amor.

Pelle

Pelle procul gemitus: procul omnes pelle querelas:
Pelle: nec indulge fletibus vsq; nouis.
Nam tua quæ perijt, cæli iam uiuit in oris,
Germana: & superis gaudet adesse choris.
Postq; tot immensos cumulos, molesq; laborum,
Sperata fruitur iam statione Poli.
Illic cum sanctis uiduis, sanctisq; maritis,
Ocia tranquilla plena quietis agit.
Non illic scabies: non cura: nec ægra senectus
Regnat: nec duro frigore seuit hyems:
Sed dulces moduli: sed dulcia iubila cætus
Angelici, semper diuite fonte fluunt.
Felix qui poterit maris implacabilis æstus
Vincere, & optato claudere fine diem.
Illius in cineres abeat mortale cadauer
Iam licet, & mortis stamina dira ferat:
Non tamen in totum moritur: mens æthere uiuit;
Inq; beatorum pace perennis agit.

Tuæ Seruitat,


Observantis,

Michaël Clenouius
Hamburgensis
Clientulus minimus,

(X2206272)







523.

V c
2402



CARMEN FVNEBRE

DE OBITU ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPIS, AC

Dominæ ANNÆ: Illustrissimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI, Dei gratia Ducis Saxoniae, S. Romani Imperij Electoris &c. Coniugis laudatissimæ; quæ placidè in Christo saluatore nostro obdormiuit, Anno 1585.


I. Die Mensis Octobris:

SCRIPTVM

A

MICHAELE CLENOVIO

Hamburgense.



VVITEBERGAE Anno M. D. LXXXV.

